

NOMINATUR proinde hic affectus à forma generica
 παλμός, cum adjectione partis affectæ παλμός καρδιας, Cordis
 palpitatio, propriè vibratio, concussio, à πάλλω, vibro, qua-
 tio. Germanis Herzpochen/Herzpuffen/Herzflupffen. Non-
 nulli perperam appellarunt eum καρδιακή & καρδιωγμὸν; hæc
 enim sunt affectiones orificii ventriculi ~~καρδιακή~~, quam par-
 tem antiqui καρδιαν dixerunt, de quo videatur Galen. 4. aphor.
 65. Marcellus Empiricus indigitat cordis salissationem, Serapio
 Caphoram, non pauci cordis saltum nuncupant. Avicenn.
 lib. 3. fen. 2. tract. 1. & Svanorola tract. 6. pract. c. 11. omnesque
 Arabum sectatores vocant cordis Tremorem. Inter quem-
 quidem & palpitationem plurimi distinguunt, hancque fieri
 volunt à solo morbo, & in partibus, quæ dilatari possunt;
 illum verò à morbo & facultate simul, nec non in iis tantum
 partibus, quæ voluntariè moventur. Distinctio tamen hæc,
 cum ex errore prognata sit, rectè improbat & rejicitur
 à Clarissim. Sennert. pract. lib. 2. part. 4 c. 4. Quippe cor non
 eo modo, quo partes externæ à spiritu crasso in altum attol-
 litur, aut instar utris vel vesicæ (hoc enim si fieret, naturalis
 ejus motus cessaret) repletur, sed propriâ suâ & insitâ facul-
 tate dilatatur & constringitur, cujus ratione nec sine motus
 hujus depravatione palpitatio suboriri potest. Hinc frustra
 quoque pro hac sententia stabilienda multa è Galeno ad-
 ducuntur loca. Galenus enim iis in locis omnibus saltem
 loquitur de palpitatione in cute & partibus externis, non
 verò de palpitatione cordis. Quod autem hæc sit alte-
 rius naturæ, manifestum est ex eodem 2. de sympt. caus. 2. ubi
 palpitationem cordis & arteriarum ab aliarum partium
 palpitatione discernit. Eadē falsâ sententiâ, imbuti, alii palpi-
 tationem distinxerunt in legitimam, quæ à solo morbo pro-
 veniat, & illegitimam, ad quam facultas concurrat; hancque
 iterum constituerunt triplicem, quarum prima fuit Jecti-
 gatio, secunda Saltus, tertia Tremor.

DEFI.